



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallelia Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 3. Mores.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

N V M. 3. *Mores.*

Svo reliquo, Arabum cultum, & vestem induerunt. *Veteres* co-
rum mores illos ex Suidâ habemus. Accusator conuictus falsi mor-
te multabatur. Non licebat viatum præbere furibus, & decepto-
ribus, qui secùs fecisset bonis spoliatus agebatur in exilium: fur
in rotâ frangebatur. Vites omnes exscindi Rex iussit. Vetitum ne
daretur eleemosyna, vt omnes laborarent, nemo deses esset; qui
petenti dedisset stipem interficiebatur, bonaque eius diripieban-
tur. Has leges tulerat Rex Trebellius, quòd accepisset ab Auaris
quos vicerat, leges illas non seruatas Auarum Gentem perdidisse.
Et hæc de moribus antiquis.

Recentes autem vix à Seruicis differunt. Plerique Turcarum
more vicitant lacte, & pecorum carne, duramque Ottomano ser-
uiunt seruitutem: nam decimus quisque corum mittitur ad bel-
lum, vt de pueris *Tributi* taceam.

N V M. 4. *Politia.*

BVLGARI Imperatoribus Orientis fuere terribiles, cum quibus
vario marte sæpe contenderunt. Tandem ab Hungariæ regibus
victi sunt; ac demum capti per Amurathum II. Sophiæ in ditio-
nem Turcarum transiere. Sophiæ residet Beglierbegus Rumeliae,
seu Romaniæ.

Huc quoque pertinent Dobraciæ Tartari, dicti CIEBELI, seu
CIBEI, & degunt inter ruderâ muri producti ab Imperatoribus
Græcis à Danubio, & Gorosu prope Selestriam, Tomos usque. Hi
autem aliquando Præcipitæ nominantur, & sub hoc nomine in
castris Turcicis militant.

§. 7. *De Bosna.*N V M. I. *Nomen.*

NOMEN habere creditur à Bosna Fl. unde & dicitur à quibus-
dam Bosnia: Lazius vult sic appellatam à Bessis populis qui postea
Bassi, & Vossi.

N V M. 2. *Qualitas.*

REGIO asperior est, immo & licet pascuis abundet hic ani-
mantum caro insipida. Corium & lanam abundè sufficit Venetis
& Ragusiniis. Habet auri argenteique fodinas eximias.

N V M.